

fiatem, & Canticum Canticorum, genuinos Salomonis fetus, sequiorum temporum imposturam nonnulla etiam eidem Authori Opera perniciose maxime, & magiam plerumque continentia affinguntur; quo scilicet sub tanti nominis obtentu majori confidentia merces illa prava venderentur. Ita Salomonis nomine inscribitur *Liber de remedio morborum* apud Kimchi; *Contradictio Salomonis*, à Gelasio censura innotuit; *Testamentum Salomonis*, Gaulmino notum. Tanto etiam nomine inscribuntur 5. Libri apud Albertum Magnum in *Speculo Astrologia*, quorum 1. *Liber Ahmadad*. 2. *Liber quatuor annulorum*. 3. *Liber de novem Candariis*. 4. *De tribus figuris Spirituum*. 5. *De Sigillis ad Dæmoniacos*. Quatuor alios memorat Trithemius, 1. *Claviculam Salomonis ad filium Roboamum*. 2. *Librum Lamene*. 3. *Librum Pentaculorum*,

fortè *Pentagonorum*. 4. *De Officiis Spirituum*. Laudatur à Reuelino *Liber Raziel*, & à Chico alter de *Nigromantia ad filium Roboamum*. Apage hæc à viro sapientissimo.

Porro hæc vetustissima est fraus, cum ipse de Salomone Josephus Antiq. l. 8. c. 2. persuadere credulis nitatur, scripsisse illum pellendis morbis atque Dæmonibus potentissimas adjurationes, quæ adhuc Josephi ætate valerent. Testatur autem, Eleazarum quemdam plures expulisse Dæmones coram Vespasiano, applicatâ tantum radice quadam à Salomone indicatâ, quam in annulo gestabat, & ejusdem Principis nomine invocato. Omnia hæc Salomonis Opera, sicut & Epistolæ Salomonis ad Hiram, & Hiram ad Salomonem, quamvis Josepho probatæ, inter apocrypha rejiciuntur.

DISSERTATIO

AN VETERES LEGISLATORES & Philosophi è Scriptura Leges suas, & Moralem scientiam hauserint.

Retiam in scriptis Polemicis lancem tenere, & in actu disputationis in adversam veritati partem tantum non abripi, arduum est pariter & infrequens. Certæ ætatis opinio fuit, id omnibus viribus entens, ut demonstraret veteres Philosophos plura & optima quæque tum in legibus, cum in scriptis suis è Sacris Judæorum Libris expressisse. Accidit etiam non infrequenter, ut variatis temporum circumstantiis contraria probarentur, nihilque intactum relinqueretur, quod intelligerent homines, nihil nosse de Scripturis Philosophos; quippe qui mentem haberent & spiritum, non secus ac reliqui omnes Ethnici, errorum tenebris obvolutam, atque in incertum spiritus vagarentur; ut si quid inter eorum Libros & Mosaicis Propheticoque congruere deprehenderetur, id unice casui, & scintilla naturalis luminis, omnibus æquè mortalibus à Deo concessi, tribuendum fuisset. Eo tandem, quo versamur, sæculo Scriptores quidam id sibi, in aliam extremitatem abrepti, probandum susceperunt (a), Moysen ipsum leges suas & caeremonias Ægyptiis debuisse; quippe qui in Ægypto institutus, quæ ibi didicerat optima (erat enim juxta S. Stephanum (b), *eruditus omni sapientia Ægyptiorum*) in succum suum transfulerit. Postremam hanc opinionem refutandam suscepimus in Prolegomeno ad Exodum. Modò aliorum opiniones in examen revocandæ sunt.

Ex quo Judæi Ægypti solum deferuerunt, usque ad extremam Regni Juda & Israelis ætatem, in sua semper regione se continentes, colendis agris & terræ uberitati, quæ lacte, & melle manabat, promovendæ laboribus suis occupati, tum & curas suas omnes nutriendis parvulis filiis, meditationi, & exercitationi Legis intentas habentes; discreti semper ab externarum gentium consortio; mari, quantum commodis suis sat, esset propinqui, sed quantum corruptioni morum ex aliorum commercio avertendæ satis remoti; cum neque connubia, neque Religionem haberent cum Idololatriæ gentibus communem; singularem tandem vitæ tenorem sectati, quo & odio erant & contemptui cæteris per orbem gentibus; his, inquam, omnibus perpetuo inter se charitatis fœdere ita conjungebantur, ut simul nihil haberent cum cæteris gentibus commercii. Hanc de populo suo ideam subijcit Josephus (c): *eandemque de illis prophani quique Scriptores habebant. Tacit. Histor. lib. 5. Instituta sinistra, fœda, pravitate valere... apud ipsos fides obstinata; adversus omnes alios hostile odium... Judæorum mos absurdus sordidusque.*

Post restitutam è captivitate gentem, minus & claritate nominis & potentia valuerunt; vicissim tamen plus studii positum, tum in colendis veteribus caeremoniis, cum pariter à commercio exterorum sese continendis. Cum tamen frequentibus populi transmigrationibus & exiliis factum esset, ut per universam terrarum

c Joseph. lib. xi. contra Appion. pag. 1038.

An Philosophi &c. plagiarii sint Judæorum. 431

Orbis faciem longè latèque plures è Judæis disperderentur, nullaque esset in toto Oriente, Ægypto, Africa, Insulis Mediterraneis, Græciæ, & Italiæ regio Judæis habitatoribus vacua; Hebræi, gens licet omnibus contempta, singulari vitæ genere & politiâ admirationem in se omnium gentium, quas inter versabantur, converterunt. Tum omnium versa studia inquirendæ eorum origini, historiis, & Legibus. Tandem sub Ptolemæo Philadelpho Rege Ægypti Versio Legis ex Hebræo in Græcum suscepta est; ex quo deinde veluti traditi in manus Libri Philosophorum studia exercuerunt. Nihil tamen certi eâ de re affirmandum suscipimus; neque enim extrâ omnem dubitationis aleam positum est, hunc Ægypti Regem, vel Bibliothecæ ipsius Curatorem eam Pentateuchi Versionem procurasse; quidquid enim asseverent Aristæas, Philo, Josephus de Versione à Septuaginta adornatâ, faciliè tamen contingere potuisse credimus, ut Judæus aliquis spontè illam susceperit. Tradit Philo de vita Moysis, Judæos Insulæ Phari solemnem ejus rei memoriam singulis recurrentibus annis celebrasse; cum interim alii Judæi soleme ad diem 8. Thebet jejunium indixissent, quod etiam nostræ ætatis Calendaria notant. Addunt Judæi, eo prophana Leges horrore, tridui tenebras Orbis universi faciem obduxisse. Vide Joseph. Scal. in Calend. Jud. in Can. Isagog. l. 1. Vide & Selden. de jure Nat. & Gent. l. 3. c. 3. Judæos veteri Testamentum in Græcum transtulisse, Judæis cæteris invidis, Ligfootus autemavit.

Tunc Philosophi, quibus opportunè accidit, ut vernacula eorum lingua, Græca scilicet, per totum serè Orientem post constitutum Imperium Alexandri Magni ceterorumque post ipsum, vulgaretur, iter aggressi sunt, quò extra Patriam suam viros doctos, unde aliquid discerent, convenirent. Ægyptus jam inde à pluribus sæculis inter primos sapientia laude florentes nationes princeps habebatur. Eò proinde frequentius ventum est. Ipsi pariter Hebræi, externorum morum discendorum avidi, itinera eâ de re & peregrinationes suscipere non recusarunt; quod exemplo discimus Jesu filii Sirachi, Authoris Ecclesiastici, qui plures se regiones excurrisse perhibens, idem cæteris prestandi author est (d).

d Eccli. 34. 12. & 16. 23. & 39. 5.

Eo temporis intervallo, quod inter solutam captivitatem & Jesu Christi adventum continetur, fama est, Paganos Philosophos è Sacris Scripturis in rem suam derivasse optima quæque moralia præcepta, quæ in eorum scriptis admiramur; tum & grandia, quæ de Deo ipsi sentire & gemina cum Moysè loqui visi sunt. Ex his fontibus Pythagoras, Plato, alique plures optimam absolutissimam Reipublicæ suæ poliam derivarunt; ex his Solon majorem legum suarum partem. Pythagoras, qui longè latèque discurrisset, Jeremiam in Ægypto, ut fama est, vidit (e), Ezechielem in Chaldaea (f). Illum autem non Judæos tantum nosse, sed & ex co-

e August. lib. 2. de Doctrin. Chrif. c. 28. & lib. 8. de Civit. cap. 11. f Quidam apud Clem. Alex. lib. 1. Strom.

rum Legibus plures in suam Philosophiam transtulisse, Hermippus apud Josephum est author (g). Idem pariter Josephus observat (h), Platonem ad Moysis imitationem injunxisse, ut patriarum Legum tabulas affidè cives manibus versarent.

Clemens Alexandrinus (i) Paganos alloquutus, aserit, Leges Platonis aliorumque Legislatorum, Hebræis pro saniori earum parte deberi; undè etiam optima quæque & beatam illam eloquii ubertatem hauserint (k). Plura ejus rei exempla satis conformem utrinque exprimentem rationem testantia in medium adducit. S. Justinus Martyr (l) persuasum habet, veteres illos Paganos Philosophos non tanquam primos præstantissimarum veritatum, quæ in eorum scriptis demiramur, Authores habendos; vix enim hæc homini in mentem venire poterant; sed omnia ad Scripturas Divinas, quæ illi in rem suam traduxerint, referenda. Singula autem propius disspiciens, demonstrat, Orpheum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem, aliosque plures, cum per Ægyptum peregrinarentur, in Libros Mosaicos incidisse, quorum lectione plurimum in cognitione Divinæ naturæ profecerint. Contendit etiam alibi (m), Philosophos omnes Græcos, quæ de animæ immortalitate, & quæ de poenis impiorum scripserunt, non aliunde, quam ex Scriptis Prophetiis repetiisse; additque eam, quæ inter Platonem & Moysen, simul utriusque scriptis collatis, apparet, discrepantiam Platoni tribuendam, qui Mosaicorum Scriptorum sensum minus rectè fuerit assecutus (n). Si quid ergo, ait, commune nos inter & vos in doctrina fuerit, non illud nostrum ex vestris, sed vos ex nostris accepistis.

Hanc inter Platonem cum Moysè cæterisque Judæorum Prophetis consonantiam Celsus pariter agnoscens (o), Judæos è Platone didicisse concludit. Sed ejus calumnias refutaturus Origenes, demonstrat, è Moysè potius cæterisque Prophetis, utpotè Platone vetustioribus, Philosophi illius doctrinam derivandam fuisse. Aliud in speciem quidem plausibilis Celsus addebat; cui bono, inquit, Authores Judæos consulamus, cum eadem apud Platonem concinnius apertiusque exprimentur? Cui reponit Origenes, Sacros quidem Authores plus curarum posuisse, ut prodesse, quam ut Lectores delectarent; quare stilo usos fuisse ad multitudinis captum accommodo; cum interim Pagani non nisi viris doctis scribentes, angustis studiis suis atque utilitati exinde hominibus obventuræ fines constituerint. Factum inde, ut parcius plerumque Philosophorum scripta legerentur; sicut frequentissimè vicissim Sacrorum Scriptorum Lucubrations, quæ multitudinis captui quadarent. His causis propagacionem Evangelii deberi, cum interim Plato neglectus maneret, & solitarius.

Tertullianus (p), post constitutam Legum Mosaicarum cæterarumque Scripturarum vetustatem, tandem addit: *Scriptis ipsas Leges quoque vestras, qua videntur*

g Lib. 1. contra Appion. pag. 1046. h Idem Ibid. l. 2. pag. 1079. i Clemens Alex. Admonitione ad gentes p. 46. k Idem Ibid. p. 47. 48. l Justin. Apolog. 1. pag. 15. Edit. Paris. an. 1636.

m Justin. 2. Apolog. p. 81. 82.

n Justin. 2. Apolog. p. 93.

o Vide Origen. lib. 6. contra Celsum.

p Tertullian. Apolog. Edit. Rigalt. pag. 19. 39. 41.

a Marsham. Canon. Ægyptiac. & Spencer. de Legibus Hebræorum Ritual. b Ad. 7. 22.

ad innocentiam pergere, de Divina Lege, ut antiquiore, formam mutatas. Subdit deinde: Quis Poetarum, quis Sophistarum, qui non de Prophetarum fonte potaverim? Inde igitur & Philosophi sitim ingenii sui rigaverunt. Sed, ait idem Tertullianus, tantâ earum luce perstricti, in medio licet luminis versantes, totam earum elegantiam pulchritudinemque intueri non potuerunt; cæci pariter & præsumptuosi, earum veritatem suis præjudiciis conformare volentes, corruerunt, opiniones sua & ambages divinis certisque Sacrorum Oraculorum veritatibus intermiscentes: Nec mirum, si Verus Instrumentum ingenia Philosophorum interverterunt.

q Idem Apolog. pag. 21. & 42.

Dæmones, ait alibi [9], de industria in scripta Poetarum quædam à Scripturis Divinis vera fabellis admixta induxerunt; eodemque Spiritu erroris factum est, ut in Philosophorum Scripta, quædam à Religione nostrâ non aliena irreperent; quod scilicet insidiâ in veritatem parantur, cum tempore à Divina Providentia constituto in mundo manifestari contingeret. Semel enim falsis hæc ideis & fabellis Poetarum animi hominum occupati, quid inter veritatem & mendacium intercederet discriminis, mente distinguere vix poterant. Perniciosum planè artificium, quod tamen in eos tantùm valuit, qui errori pervicacius inherentes deponere illum recusarunt. Ita factum est, ut omnia adversus veritatem de ipsa veritate construere viderentur. Veritas fabellis delibata, vim omnem juvandi amittit. Mendacio enim fides omnis detrahitur, & Apostolis ad destruendos Paganorum errores, atque superstitiones laborantibus, unâ simul factum est, ut eodem veluti fato veritates, arcto quodam cum illis vinculo conjunctæ, interciderent: Ut quis, ideo non putet Christianis credendum, quia nec Poetis nec Philosophis.

Hæc à Tertulliano fusiùs disputata, exprimit pariter S. Justinus Martyr in secunda Apologia; habet enim persuasum mali cujusdam Genii artificio factum esse, ut Poetis quædam exciderent vera, ad Jesum Christum pertinentia, atque in eorum Operibus plurima deprehenderentur ex Jesu Christi gestis, sed fabularum quodam gustu tradita, & Paganorum Numinibus applicata. Doli enim artifex Spiritus ille, probè noscens lata de Jesu Christo Oracula, præoccupandas in illum mentes hominum ratus, omnia fabellis, & rebus supra fidem prodigiosis inserit, quod scilicet, cum in mundum venire Redemptorem contingeret, homines fabellis fæctisque prodigiis affueti, minus essent recipiendis veritatibus, quæ in Evangelio referendæ erant, comparati; atque difficultate & arduitate examinis distinguendi vera à falsis absterri, omnia æquè quæ vera, quæ falsa, utpotè quæ omnia fabulosa sibi viderentur, rejicerent.

S. Cyrillus Alexandrinus adversus Julianum scribens l. 1. disertè asserit, veteres Philosophos, per universam maximè Greciam celebratos, cum longâ ætate essent Moysè posteriores, plura ex ejus Libris in

succum suum, quamvis non felici semper successu, convertisse. Cùm enim hebetiori essent ingenii acumine, quàm ut Legistoris Hebraici genuinum sensum pervaderent, falsa quædam, vel minus saltem perfecta de Natura Divina supposuerunt. Addit pariter, ex iis Philosophis aliquos Prophetis Judæorum recentiores, id sibi suscepisse, ut plura ex illis Divinis Authoribus exscriberent. Equis enim, ait, in animum sibi potuisset inducere, Philosophos illos, qui longas aded peregrinationes, & maximè in Ægyptum, discendi gratiâ susceperunt, illud neglexisse, quod magis & eorum vota, & ardens inquirenda veritatis studium expleret? Quæ tandem apparet inter illos, cum maximè de generalibus rerum notionibus agitur, consonantia, ea sanè argumentum est aperitissimum, omnes pariter ex eodem fonte potasse; cum in rebus cæteris, in quibus singuli ingenium suum sectati sunt, nunquam inter se non committantur. Excutienda deinde suscipit eorum dogmata de creatione, naturâ, & attributis Divinis, de Verbo, Spiritu Sancto, & animâ Mundi.

Theodoretus in suo Opere adversus Grecos sive Gentiles, Historicorum testimonio (r) probat, Veteres Philosophos, ut Pherecidem, Pythagoram, Thaletem, Solonem, Platonem peragrâsse Ægyptum, Siciliam, & Italiam, nullamque fuisse sive gentem sive locum aded remotum, à moribus abhorrentem propriis, diversis licet servientem Regibus, quod illi seferre inquirenda veritatis gratiâ renuerint; ut ubicumque nosset Sapien-tes aliquos viros versari, eò statim advolarent: ex quo factum, ut non Ægyptiorum tantùm, sed etiam Hebræorum doctrinâ profecerint adeo, ut Pythagoras alienum sibi non duceret, si circumfusione, quam Ægyptii ex Judæis receperant, sese initiandum præberet. Laudat in eam rem testimonium Porphyrii Philosophi, Christiani nominis osoris, qui è Delphico quodam Oraculo probat, demonstrandi itineris ad Deos deducendis (s) authores fuisse Chaldaeos, Ægyptios, Phœnices, Lydos, & Hebræos; eam verò doctrinam, quam è Barbaris tenebant, exscripsisse tantùm Græcos, quin & corrupisse quandoque. Ex Prophetis igitur Judæorum, ipsius Oraculi testimonio, prima veritatis & veræ Philosophiæ origo repetenda est. Si quos verò populos alios, nempe Chaldaeos, Ægyptios, & Phœnices Apollinis Oraculum Hebræis jungit, operæ pretium est animadvertere, ait Theodoretus, veritatis cognitiones in eas gentes non nisi à Judæis devenisse. Debent enim doctrinam suam Phœnices commercio cum finitimis Judæis, debent Chaldaei Judæis in suâ regione captivis. Quibus enim prodigiis Deus Danieli ejusque sociis favit, illis pariter insinuat pluribus Chaldaeorum veritas. Ipse pariter Cyrus in vera Religione institutorem habuit Danielem, virum in Aula sua principem. A Cyro verò subacti Lydi, Legem pariter & veram Religionem acceperunt. Contu-

r Laudat Porphyrium Christianorum acerrimum adversarium, Numenium Pythagoricum, Plutarchum, aliosque plures.

s Theodoret. ex Porphyro. loc. cit. pag. 472.

bernium tandem veterum Hebræorum in Ægypto, gentibus illis profuit, quod discerent eorum de natura Divina cæterisque ad Religionem pertinentibus dogmata.

r Item lib. 12. & 13.

Idem fusiùs demonstrat Eusebius toto Libro undecimo Præparationis Evangelicæ, probans (t), Platonem potissima Philosophiæ, & Theologiæ suæ dogmata è Sacris Libris derivasse. Nititur etiam demonstrare, sententias ejus Philosophi plures cum Scriptura convenire, longo ordine recensens ea, quæ à Platone de Verbi Divinitate scripta sunt, de ideis, de summo bono, virtute, animæ immortalitate, creatione mundi, resurrectione, Deique judicio &c. Si autem, addit ille, Græci Platonem Ducem secuti sunt, ipse verò Hebræos, tota est Græcorum Philosophia ex Hebræis repetenda. Eandem collationem, profequitur toto libro duodecimo, & parte decimi tertii, ubi testimonium Aristobuli laudat, ingenue fatentis, Platonem leges & disciplinam, sive caeremonias & mores Hebræorum expressisse. Tradit insuper, ante Alexandrum Magnam & Persarum Imperium vulgatam fuisse Græcam Pentateuchi Versionem, quæ cum minus exacta, nec numeris omnibus absoluta deprehenderetur, alteram Demetrio Phaleræo instante, sub Rege Ptolemæo Philadelpho susceptam fuisse. Priori illa Versione, ait, Pythagoras, Plato, Socrates, alique plures ante Philadelphum in scientia Divinitatis, providentiæ, & creationis mundi profecerunt. Laudat deinde Eusebius testimonium S. Clementis Alexandrini, non semel nec obscure, perhibentis (u), Veteres Philosophos, & potissimum Pythagoram, ac Platonem optima quæque sua, quemadmodum ex plurium sententiarum collatione demonstrat, lectioni Mosaicorum, & Propheticonum Librorum debere.

u Vide Clementem. Alexan. Strom. lib. 1. pag. 299. 342. &c. & lib. 5. pag. 559. &c. & 592. &c. Ita lib. 6. & Exhortat. ad Gentiles. x Ambros. in Psalm. 118. Serm. 2. n. 5. & 13. & de fuga sæculi c. 8. n. 47. de bono mortis cap. 10. n. 45. & cap. 11. n. 51. de Noë & Arca cap. 8. * Idem in Psalm. 118. n. 4. y Lib. 2. cap. 28. de doctrin. Christ. & lib. 8. cap. 11. de Civit. z Retract. lib. 2. cap. 4. n. 1.

a Exod. 3. 14.

fic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. Addit verò alibi (b). Multo credibilis est, istos potius de literis nostris habuisse, quamque bona & vera dixerunt, quàm de Platone Dominum Jesum Christum, quod demeritissimum est credere.

b August. de Doctrin. Chris. lian. cap. 28. num. 43.

Hæc habent majoris momenti argumenta quicumque eâ tenentur persuasione, veteres Græcorum Philosophos saniorum Philosophiæ suæ partem è Sacris Literis Hebræorum hausisse. Sed cum de re aliquâ gestâ questio agitur, nihilque Divinitus revelatum, sive ad Religionem saltem obliquè spectans in ea re habetur; unice spectandæ sunt rationes, quibus id sibi asserendum Patres censuerunt. Porò rationes illæ ad duo potissimum capita reducendæ sunt; 1. Philosophos plura nosse, quæ in Sacris Libris leguntur. 2. Eorum plures iter in Ægyptum habuisse, ubi frequentissimos Judæos versari contigit. Hisce tamen omnibus tria reponenda; r. Neque Philosophos, nec alios quosque Scriptores coævos unquam falsos, se vel Judæos præceptores audisse, vel Libros eorum legisse: 2. Quæ inter utrosque Scriptores apparet sententiarum convenientia, unde potissimum ejus sententiæ argumentum petitur, intentum minus illa quidem quàm pro recepta opinione probat; potuit enim ex altera, quàm quæ constituitur, causâ originem trahere. 3. Philosophos, de quibus modò, cum ante Versionem Græcam sacrorum Librorum florissent, eorum Librorum lectione nihil profecisse poterant. Non tamen, negaverim, aliâ viâ, traditione nempe, potuisse earum veritatum notionem ad illos descendere; sed de facto ipso, quod certum alii statuant, dubitationem movemus.

Si verò autoritas autoritati opponenda, minori quidem Scriptorum numero adversa sententia fulcietur; sed majores illi vicissim & solidiores rationes. Demetrius Phaleræus, Aristæas, Aristobulus, & Josephus plus favent sententiæ neganti, aliquid è Sacris Libris Philosophis innotuisse, quàm affirmanti. Origenes, Tertullianus, S. Augustinus, quos posterior ista opinio inter suos vindicat, adversam strenuè propugnant. Tandem Laëtantius demonstrandum sibi, nec levis & facillè revincendis rationibus suscepit, Divinas Scripturas prorsus Philosophos latuisse. Sed plenius eâ de re agendum.

Philo Judæus (c), ægrè aded sibi persuadebat, Philosophos è Sacris Scripturis aliquid deduxisse, ut luculenter asserat, ante Versionem Græcam sub Ptolemæo Philadelpho Gentiles nihil de Sacris Judæorum Libris nosse. Cui Scriptoris assertioni eò major in ea re fides adhibenda est, quò in studio Platonis exultior erat; ut de illo obtineret: Sive Philo platonizat, sive Plato philonizat (d). Qui tandem inter sententias Platonis & Moysis consensus statuitur in iis, quæ ad creationem Mundi pertinent, ille sanè impetrare ab eodem Scriptorum non potuit, ut crederet Platonem Moysen exprimere intendisse; vulgatum enim esse ait, Platonem suam illam sententiam

c Philo lib. 1. de Vita Mos. pag. 657. 658.

d Hieron. in Catalog. Scriptorum Ecclesiast.